



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput XVIII. De Conciliis particularibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

Sess. 45. & ult. Anno 1442. 17. Cal. Jun. nominatur pro loco futuri Concilii generalis post triennium celebrandi Lugdunum Urbs Gallia. Pro continuatione Concilii nominatur civitas Lausanna Provinciae Bisuntinae. Sed ibi nil aliud factum, quam quod intercessione Frederici Imperatoris Felix V. Antipapa resignaverit. Quo facto Nicolaus V. Eugenii IV. Successor Concordiae causa confirmavit acta quaedam Basileensia ad Beneficia Ecclesiastica & Censuras pertinentia, non vero caetera. Et non tantum Eugenius, sed & Leo X. deinde in Concilio Lateran. Sess. 11. Decreta Basileensia damnarunt, ut nullum ex auctoritate hujus Concilii robur habeant.

C A P U T XVIII.

De Conciliis Particularibus.

Nationalia convocat Primas seu Patriarcha, etiam Legatus Apostolicus. Provincialia Metropolitanus, vel Episcopus antiquior. Quoties sint celebranda, & qui ad ea venire teneantur. Quis Sessionis Ordo. Qui votum in iis habeant, & quid in iisdem tractetur. Decreta quando publicanda, & quos obligent.

ligent. Synodus Diœcesana quando & à quo convocanda; Qui ad eam vocandi sint, & quæ in ea tractentur. Decreta Synodalia an obligent. Concilia particularia licet errare possint in fide, magnam tamen habent in Ecclesia auctoritatem.

I.

Concilia particularia convocantur non ad definienda dogmata fidei, sed ad morum correctionem. *Can. 4. dist. 18. & si quid definiant roborari debet à sede Apostolica. Can. 6. dist. 17.* Alia sunt Nationalia, alia Provincialia, alia Diœcesana.

Nationalia dicta sunt olim quandoque Diœcesana *l. 21. C. de Episc. & Cler.* quia apud antiquos Diœcesis continebat plures Provincias. In Concilio Antiocheno appellata sunt Synodi majores, quia sunt illa, quæ Primas seu Patriarcha convocat celebratque cum Archi-Episcopis & Episcopis unius alicujus regni, nationis aut plurium Provinciarum. Cujusmodi sunt multa Romana à Papa cum solis Episcopis Italiæ celebrata. *Turrerec. 3. de Sum. Eccles. c. 3.* quamvis hæc nonnulli revocent ad Provincialia *Canis. Sum. Jur. Can. l. 1. tit. 2. in notis.* Legatus quoque

que Apostolicus Synodum in Provincia sua convocare potest, cum necessarium esse judicaverit. Cogenda olim fuit Synodus Nationalis semel in anno *Can. 41. Arab. Conc. Nicen.* Si quis Metropolitanus ad Synodum Patriarchæ vocatus ire neglexerit, primo tempore segregetur, & durante contumacia deponatur. *Synodus 8. c. 17.*

2. Provincialia convocat Metropolitanus *c. 13. & seqq. dist. 18.* Etiam sine auctoritate Primatis seu Patriarchæ *inc. 2. dist. 18. Præpos. n. 2.* non autem sine auctoritate ipsius Metropolitanus cogenda est. *Can. 35. Arab. Conc. Niceni.* Metropolitanò vero legitimè impedito Concilium ab alio antiquiore Provinciæ Episcopo convocari debet *Trid. Sess. 24. c. 2. de re form. non exempto, licet talis antiquior sit Comprovincialibus. Fagn. in c. 25. de accus. n. 18.* Idem observandum est Sede Metropolitana vacante. *Præpos. in c. 2. dist. 18. not. 3.* Convocandum autem est Concilium ad locum opportunum, nec valde remotum, ne vocati subeant gravia discrimina itinerum, & nimirum defatigentur. *c. 7. dist. 18. & ibi Præp. n. 1.* Electio loci spectat ad Archi-Episcopum, cessantibus tamen justis impedimentis & accedentibus commoditatibus necessariis

riis

riis Ecclesia Metropolitana non est relinquenda. *S. Cong. in Sess. 24. de reform. c. 2. §. Synodum.*

Determinandus quoque est certus dies, quo Synodus inchoanda sit, ut pridie adesse possint vocati *Conc. Tolet. IV.* Olim convocari debebant hæc Concilia bis in anno *cap. 2. 6. aliisque dist. 8.* Primum quarta septimana Pentecostes vel appetente Quadragesima. Secundum 12. die mensis Hyperberetæi id est Octobris *Can. 36. apost. Can. 20. Syn. Antioch. & Can. 5. Nicen. primæ. c. 3. dist. 8.* Idibus Octobris *Can. 4. ejusdem dist.* Sed postmodum ob itinerum molestias aliasque ob causas decretum est, ut semel in anno habeantur. *c. 7. dist. 18.* Demum in Concilio quinto Lateranensi generali statutum, ut quolibet saltem triennio celebrentur. *Sess. 10. Const. 2.* Quod confirmat Tridentinum ordinatque ut fiant post octavam Paschæ, seu alio commodiore tempore *Sess. 24. c. 2. de reform.* Ex decreto tamen S. Congregationis Concilii annuente Pontifice concessum Archi-Episcopo de Lima, ut in Indiis ob nimiam Suffraganeorum distantiam singulis sexenniis Concilium convocetur. *In Sess. 24. de reform. c. 2. Fagn. ino. de accus. n. 23.*

3. Concilio Provinciali interesse tenen-

nentur Metropolitanus & Episcopi Suffraganei seu Comprovinciales omnes. *c. 25. de accus. & c. 7. 10. & 13. dist. 18.* Exceptis iis quibus cum imminente periculo transfretandum esset. *30. Franc. Leo c. 8. & exemptis cum Abbatibus eorum;* Atque iis etiam qui de jure vel consuetudine interesse non debent. *S. Cong. Conc.* Cæteri vero impediti excusare se & mittere debent Procuratores. *c. 10. dist. 18.* qui Doctores esse debent habiles & discreti. *Nicolius in Flosc. V. Concilium n. 5.* & si vocati, qui interesse debent, venire negligant, variis pœnis subjiciuntur; Suspenduntur à Communione *c. 1. Caus. 5. q. 3.* Privantur communionem fratrum usque ad futurum Concilium. *c. 14. dist. 18.* atque etiam charitate eorundem & Ecclesiæ communionem. *c. 13. dist. 18.* & propriæ tantum Ecclesiæ communionem contenti esse debent *c. 10. dist. 18.* proindeque non sunt excommunicati, sed tantum non veniunt ad negotia cæterorum Episcoporum v. g. ad Consecrandum Episcopum & similia. Episcopus vero qui nulli immediate subditur, eligere debet vicinum Metropolitanum, in cujus Synodo cum aliis intersit. *Trid. Sess. 24. de refor c. 2.* hoc tamen locum non habet in Episcopis, qui sunt Provincia
Roma

Romana inter Capuanam Provinciam & Pisanam *c. 5. de offic. Vicar. S. Congreg. Conc.*

4. Capitula Cathedralium Ecclesiarum invitanda sunt. *Declar. Conc.* nimirum de honestate, non necessitate, præterquam in duobus casibus, si nimirum eorum consilium sit necessarium, vel si de factis eorum agatur, sed tunc solum consultivum habent votum, non decisivum. *Fagn. in c. fin. de his quæ fiunt à Præl.* Capitula quoque Collegiatarum quasi Episcopalem jurisdictionem habentia vocanda sunt. *Declar. Card. Cong. S. Conc.* Non autem cætera, neque alii Clerici inferiores, cum de his disponat Episcopus & Capitulum. *c. 4. de his quæ fiunt à Præl.* Laici vero hujusmodi Conciliis interesse non debent. *Glos. V. contingere in c. fin. de his quæ fiunt à Præl. nisi specialiter invitentur & non sint excommunicati. c. 22. dist. 63. Nicolius l. c.* Vel tractetur de fide, quæ omnibus communis est. *c. 2. & 4. dist. 96. de qua tamen in generalibus solum Conciliis tractari solet. Abb. in cit. c. fin. n. 5.* Vel agatur de matrimonio. *c. 2. caus. 35. q. 5.* Sed tunc admittuntur non ad iudicandum vel docendum. *c. 2. dist. 62. quia Laici Ecclesiastica negotia tractare non debent. c. 2. de iudiciis.* Sed tantum ad audiendum vel consulendum, si sint juris Civi.

Civilis vel Canonici periti. *c. Ad Apostolica de re judic. in 6. S. Congr.* Admitti vero debent ad justitiam petendam vel defendendam. *c. 13. de judic. & c. 1. de Spons.* Sed cum tractatur de Ecclesiasticis negotiis & Clericorum correctionibus excludendi sunt. *arg. c. 36. de Elect. & Extrav. Non debet Pontif. VIII.*

Legati regii sub nullo titulo admittendi sunt ad Concilia provincialia, ut libertas maneat Ecclesiasticis decernendi de rebus ad ipsos pertinentibus. *arg. c. 43. de Elect.* Reges vero eorumvè Officiales non nisi in certis Jure expressis casibus iis interesse possunt. *c. 4. dist. 96. & c. 2. dist. 63.* prout nonnunquam interfuerunt, vel ut reciperent Patres, vel ut eos tuerentur.

5. In Sessionibus primatum obtinet Metropolitanus. *c. 1. dist. 18.* *Secundo* Episcopi, qui secundum tempus Ordinationis suæ sedere, subscribere aliasque prærogativas habere debent. *c. fin. dist. 17.* Non secundum dignitatem & præeminentiam Ecclesiarum. *S. Cong. Conc. in c. 2. Sess. 14. de reform.* *Tertio* Capitulum Cathedralis Collegialiter comparens, tum enim Canonici illi præferendi sunt Abbatibus, cum eo casu repræsentent Ecclesiam

clesiam

clesiam post Episcopum. *Quarto* Abbates habentes privilegium mitræ & baculi, hi vero, si exempti sint uti possunt mitris auriphrisiatis, aut gemmas habentibus, si non sint exempti, simplicibus tantummodo aliisque ac planis. *c. ut Apostolica 6. de priv. in 6.* *Quinto* Procuratores Episcoporum absentium. *Sexto* Procuratores Abbatum absentium. *Septimo* Collegiatæ. *Octavo* Plebani seu Archi-Presbyteri. *Nono* Parochi. *30. Franc. Leo.* quando vero Dignitates & Canonici Cathedralium non Collegialiter comparent præcedunt illos: *Primo* Abbates habentes usum mitræ & baculi *Navar. Con. 2. de major. & obed.* qui etiam præcedunt Abbates hoc privilegium non habentes. *Secundo* Abbates Commendatarii, omnesque Abbates tam sæculares quam Regulares, qui jurisdictionem habent in foro contentioso in subditos, quia hi Prælati Ecclesiæ dicuntur *Glossa & Abbas in c. Cum Ecclesiarum n. 10. de Offic. Ordin. c. Statutum de Elect. in 6.* *Tertio* Protonotarii Apostolici qui sunt Prælati & Rochetum deferre possunt. *Cassander in Catal. glor. mund. part. 4. 4. consid. 29.* Si tamen in habitu incedant, aut alias sint personæ notæ.

notæ. *Quarto* si occasio ferat præcedunt quoque Generales Ordinum. *Cærem. Episc. l. 1. c. 23.*

6. *Votum in Concilio Provinciali* decisivum habent tantum Metropolitanus & Episcopi secundum communem, & Episcoporum Procuratorus si Concilio placuerit. *S. Cong. Conc.* Abbates vero, Commendatarii, Capitulares & Capitulum deputati; Laici item, qui admittuntur, vocem habent duntaxat Consultativam, ita communiter *DD. in c. 29. de Præb. & S. Cong. Card.* Nec potest Metropolitanus Episcopis invitis dare votum decisivum Abbati etiam habenti usum Mitræ & Baculi, *S. Cong. Conc. 15. Aug. 1597. apud Nicolium in Flose. V. Concilium.* Votum verò dant primo loco, qui inferioris sunt ordinis *Fagn. in c. Sicut olim de accus. & majora vota concludunt. Conc. Tolet. 8. c. 12.* Si Episcopi convenire non possint, dijudicet Metropolitanus; Si non acquiescant judicatis, Primas decidat. *c. 2. caus. 6. q. 4.* Si vero Metropolitanus solus dissentiat ab omnibus Co-Episcopis, standum potius esse sententiæ Episcoporum quam Metropolitanæ censuit *S. Congregatio apud Fagn. c. Sicut olim de accus. n. 34.*

Y

7. Tra-

7. Tractanda sunt in Synodo 1. Decreta Concilii Tridentini recipienda sunt & perlegenda ; Hæreses Anathematizandæ & fidei professio facienda. *Trid. Sess. 25. c. 2.*
 2. Excessus corrigendi & controversiæ componendæ *c. 2. dist. 18.* Querelæ etiam contra Metropolitanum recipiendæ & terminandæ , sed si graviores sint ad Papam deferendæ. *Ibid. Nicolius l. c.* Si causæ expediri non possint Judicibus deputatis committendæ. *Trid. Sess. 24. c. 5. in fin.*
 Contra Episcopos etiam ex officio inquirendum. *Trid. Sess. 24. c. 1.* De gravioribus tamen causis eorum non cognoscendum , sed summariæ informationes ad Papam transmittendæ sunt. *cit. Sess. 24. c. 5.* Concilium etiam Provinciale statuere nil potest in Regulares exemptos. *Nicolius. l. c.* Negotia indefinita non sunt committenda extra Synodum nisi in casibus in jure & Tridentino expressis. Nul-
 lus è Concilio discedere potest , nisi eo completo sub pœna excommunicationis. *c. 12. dist. 18.* Neque Archi-Episcopus Concilium dissolvere potest nisi de Consilio & consensu Coëpiscoporum. *S. cong. Conc. apud Fagn. l. c. n. 98.* Finito Concilio Decreta publicari non debent inconsulto Romano Pontifice *s. Cong. Conc.* ad quem cum literis Metropolitanæ vel
 totius

totius Synodi mittenda sunt. *Fagn. in c. Sicut olim de accus. n. 95.* à quo si confirmata sint, tenentur ea Episcopi in Ecclesiis suis publicare intra sex menses. *c. ult. dist. 18.*

Subditi vero Episcoporum obligantur omnes ad observationem Decretorum Concilii Provincialis etiam exempti, in casibus in quibus à jure communi & Concilio Tridentino aut Concilio Provinciali in ipsos potestas concessa est. *S. Congr. Conc. in cit. c. 2. Sess. 14. de reform.* Ad observantiam Decretorum illius Concilii Provincialis ad quod eorum Episcopus accessit, tenentur quoque Capitula Cathedralia, licet sint exempta; Et Episcopi obligantur ad eorundem observantiam, licet intra decennium non fuerint observata. *70 Franc. Leo c. 11.*

8. Diocesana seu Episcopalia, quæ nonnunquam Concilia. *c. 2. dist. 38.* magis propriè & frequentius Synodi, id est, coetus *c. 1. dist. 15.* appellantur. *c. 25. de accus. c. 16. dist. 18.* & alibi, sunt illa quæ Episcopus, vel illo impedito Vicarius ejus, aut Procurator cum sufficiente mandato *c. 9. dist. 18. S. Cong. Conc. vel Sede vacante Capitulum Honor. ab Axel. de const. n. 7.* cum ejusdem Diocesis Abbatibus, aliisque Prælatibus, Parochis & Clericis

ricis celebrat. *c. 2. dist. 38. can. 16. caus. 18. q. 2.* Potest vero Episcopus congregare Synodum sine Consilio Capituli 26. Febr. 1639. Fulginaten. ad 2. apud Nicolium *in Flosc. V. synodus.* Si Vicarius Apostolicus velit celebrare Synodum, debet id facere sine interventu Episcopi; Secus si Vicarius sit Generalis, licet Roma missus: *nicolius ibid.*

Hæ Synodi quot annis convocari debent. *Trident. Sess. 24. c. 2.* à quovis Episcopo separatim, non conjunctim à Suffraganeis Archi-Episcoporum. *S. cong. conc. quamvis aliqui ob formidinem Dominorum A catholicorum nec venturi essent, nec missuri excusationes neque ullum ante celebratum esset Concilium Provinciale. S. cong. apud Fagn. in c. 28. de accus.* Si Episcopi in convocanda Synodo negligentes fuerint, pœnas à sacris Canonibus institutas incurrant. *Trident. Sess. 24. de reform. c. 2.* Cum vero dubitaretur an Episcopus negligens in congreganda Synodo incurrat pœnam suspensionis duorum mensium juxta *c. fin. dist. 8.* respondit S. Congregatio ad tollendum scrupulum à tali Episcopo petendam esse absolutionem à Papa, & monendum ut deinceps observanda servet. *cit. c. fin.* Incurrit vero talis Episcopus pœnam suspensionis
ab

ab officio, de qua *c. 25. de accus.* ex sententia Judicis, ut declaravit eadem S. Congregatio apud Fagn. *in cit. c. 28. n. 109.* Si vero Episcopus non adeat Synodum Diœcesanam excommunicetur, & in sequenti Synodo absolvatur. *conc. Aurelian. 2. c. 19.* nisi gravi necessitate venire prohibeatur, quo casu pro se Legatum mittat. *c. 9. dist. 18.*

9. Ad Synodum vocandi sunt, qui venire tenentur, Abbates, Parochi, Presbyteri omnisque Clerus totius Diœcesis. *c. fin. dist. 18.* Etiam exempti, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur. *Trid. Sess. 24. de reform. c. 2.* Simples tamen Sacerdotes & Clerici Beneficiati non admittuntur ad vota pro confirmatione Judicum, & Examinatorum Synodaliū. *Nicolinus l. c.* Reliqui ergo Regulares subditi Capitulis generalibus, & non habentes curam animarum convenire ad Synodum Diœcesanam non tenentur *Barb. ad cit. c. 2. Sess. 27. n. 23. Fagn. ad c. quod super his. n. 8. de major. & obed.* Nunc tamen Abbates, Priores, Guardiani & alii Superiores locales parvorum Conventuum, qui ex vi Decreti Innocentii X. *ut in parvis* dati die 10. Febr. 1654. subsunt jurisdictioni Ordinarii ex Decre-

to Alexandri VII. dato 30. Mart. 1661. quod recitat Fagnanus *ad c. Quando n. 64. de Offic. Ord.* tenentur vocati ab Episcopo convenire ad Synodum Diœcesanam; Atque etiam illi qui Capitulis generalibus subduntur, si Parochias vel alias Ecclesias sæculares licet solum annexas administrant, *Trid. l. c.* Vel sub alio quocunque nomine curam animarum exercent. *Barb. ad dict. c. 2. Sess. 24. n. 26. Fran. ad c. Quod super de major. & obed.* etiam si in alia Diœcesi habitent *Cong. Conc.* Si tamen Abbas, aut Monachus cujus Monasterio vel Ecclesiæ incumbit cura animarum eam exercent per Vicarium sæcularem ab Episcopo approbatum, non tenetur ipse accedere, sed sufficit si mittat Vicarium, *S. Cong. Conc. apud Fagn. l. c. n. 7.*

Rectores qui nullius sunt Diœcesis venire etiam tenentur ad Synodum viciniore Episcopi, qui ex Decreto *Trid. Sess. 24. de reform.* potest illos visitare. *S. Cong. conc.* Venire quoque debent Laici si ex causa per Episcopum vocentur. Fratres quoque Cappellanos S. Joannis Hierosol. curam habentes animarum ad Synodum accedere debere decisum esse à S. Congr. tradit Fagnanus *l. c. n. 9.* Non vero tenentur venire, qui habent speciale

661.
. 64.
eopo
am;
erali-
s Ec-
s ad-
quo-
exer-
Fran.
si in
men
aste-
ima-
ecu-
non
mit-
aga.
ve-
vici-
rid.
are.
Lai-
tur.
nnis
ad
esse
Non
spe-
iale

ciale privilegium exemptionis, neque exempti actu exercentes utramque jurisdictionem spiritualement & temporalem in Parochos juxta *c. 11. Sess. 25. de Regularibus.* prout declaravit sacra Congregatio.

Jam vero si vocati ad Synodum etiam unica solum vocatione *Glos. V. Præceptione regia in c. 13. dist. 18.* venire neglexerint, Fratrum communione privatur, nec recipiuntur nisi in sequenti Synodo fuerint absoluti. *c. 12. dist. 18.* Imo Abbates & Religiosi, qui Capitulis generalibus non subduntur *S. Cong. conc.* compelli possunt ut Synodo adsint. *c. 9. de major. & obed.* nisi Episcopus in citatione expresserit causam illicitam, aut constet statuendum esse aliquid, quod Canonicis obviat institutis. Presbyteri ad Synodum venientes non tenentur deferre Elogias. *c. 8. dist. 18.* id est munera, quæ deferunt subditi suis Prælati. *Glos. ibid. V. Elogiis*, sed ex officio accedentes sustentari debent à suis Ecclesiis, quæ ad hoc compelli possunt. *conc. colon. 3. tit de Synod. c. 1.* Canonici tamen euntes ad Synodum propriis vivere sumptibus debent, non gravare Capitulum. *Nicolius in Flosc. V. Synodus ex variis Decret. Congreg.* Præsentes eodem, quo supra in Concilio Provinciali ordine sedent.

10. In

10. In Synodo Diœcesana hæc agenda sunt. 1. Notificant Episcopi suis Ecclesiis statuta Conciliorum Provincialium sub pœna suspensionis ab officio duobus mensibus. *c. fin. dist. 18.* 2. Possunt condere Canones & constitutiones de negotiis minoris momenti. *Hon. ab Axel. de const. n. 7.* etiam absque consensu Capituli & Cleri, licet requirendum sit ejus Concilium, præterquam in casibus à jure expressis. *30. Franc. Leop. 1. c. 9. n. 15.* 3. Proponuntur ab Episcopo minimum sex Examinatores approbandi à Synodo pro Parochiis vacantibus, ex quibus tres eligit Episcopus, qui cum eo examen perficiant. *Trid. Sess. 24. c. 18.* Approbari vero possunt à Synodo tam per vota secreta, quam per aperta. Examinatorum Synodaliū officium annecti non potest alicui Dignitati, puta Archidiaconi, Primicerii, ita ut electio transeat ad Successores: quia censetur electa industria personæ. *Nicolius in Flosc. V. Synodus.* Horum officium non expirat per mortem Episcopi, sed durat donec alii in Synodo deputati fuerint *S. Cong. Conc.* Ideoque nec Episcopus nec Capitulum alios creare potest. *Garc. de Benef. p. 9. c. n. 81.* Si tamen elapso anno aliqui ex eis mortui fuerint, omnium officium expirat. *S. Cong.*

CONG.

Conc. Quod si non extet congruus Examinatorum numerus, concessit Pontifex 12. Aug. 1606. Congregationi Concilii facultatem, ut possit Episcopis dare potestatem deligendi alios extra Synodum, donec Synodus habeatur. *Nicolius in Elosc. V. Synodus. 4.* Designantur quædam personæ qualificatæ coram quibus, ac eorum substitutis causæ Ecclesiasticæ spirituales terminentur; Si ex designatis aliquem mori contigerit, aut ob diurnam absentiam, quæ æquiparatur morti *S. Cong. Conc.* adesse non possit, substituat Ordinarius loci cum Consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram Synodum. *Trid. Sess 25. c. 10.* Si quis Canonicus Cathedralis Ecclesiæ designatus sit Judex, isque resignet Canonicatum manet tamen in officio Judicis Synodalis quo ad causas cœptas eique commissas. *Nicolius. l. c. 5.* Promoti ad Beneficia in prima Synodo, quæ celebrabitur cæterique in Synodo Diocesana convenientes professionem fidei emittant. *Trid. l. c. Cap. 2.*

II. Statuta Synodalia priusquam usu recipiantur, ostendi debent Capitulo aliisque quorum interest, & præfigi eis terminus duorum mensium, ut gravati recurrere possint ad Episcopum vel ad
Sedem

Sedem Apostolicam. Non tamen tene-
tur Episcopus ostendere Decreta Civi-
tati aut Laicis antequam promulgentur
vel imprimantur. *Nicolius l. c.* Hæc vero
non obligant supina ignorantia laboran-
tes, quare publicari ab Episcopo debent.
Pissec. in prax. Episc. p. 2. c. 2. a. 1. per Deca-
nos & Archi-Diaconos. *Conc. Colou. 2.*
p. 14. c. 18. etiam absque prævia recogni-
tione & approbatione S. Pontificis, dum-
modo nihil contineant contra univerſa-
les Canones, aut Ecclesiæ consuetudi-
nem; Si tamen ea approbat Papa ob
majorem solum securitatem, poterit ni-
hilominus Synodus Diœcesana vel Epif-
copus in iis dispensare, vel etiam plane
abrogare, nisi sit approbatio substantia-
lis, ita ut Papa velit ea in tota Eccle-
sia observari. *Laym. l. 1. c. 2. 4. c. 7. §. 1.*
Dum autem Romæ revidentur Decreta
Synodalia, Episcopus non procedat ad
eorum executionem. *Nicolius. l. c.* Non
obligant etiam decreta Diœcesana ultra
Diœcesin, quia qui illa formarunt, non
habuerunt jurisdictionem extra Diœce-
sin, sicuti non obligant Provincialia ul-
tra terminos Provinciæ, adeoque licet
ex his quædam à Gratiano in Decreto al-
legantur, hæc tamen non sunt univer-
ſaliter obligatoria, nisi auctoritate Pa-
pæ

pæ ad omnes extendantur ex communi DD. sententia, tunc enim sicuti illa quæ in Decretales relata sunt, omnes Christi fideles obligant, non secus ac si desumpta essent ex Conciliis Oecumenicis, quibus ipse Pontifex præsidet, juxta illud Justiniani Imp. *Omnia nostra facimus quibus auctoritatem nostram impertimus. l. 1. C. de jur. vet. enucl.* Cum impressa sunt Decreta non licet Episcopis Clericos mulctis cogere ad ea comparanda. *Nicolius l. c.*

12. Cæterum Concilia particularia, seu nationalia illa sint, seu Provincialia & Diocesana à Papa non confirmata non sunt certa regula fidei, sed errare in ea possunt, atque de facto errarunt, ut Carthaginense sub Cypriano Nationale 85. Episcoporum, idque traditur generaliter in quinta Synodo Romana sub Symmacho: *Concilia Provincialia, quia presentiam Papæ non habent, valetudinem perdidisse.* Nam ejusmodi Concilia non repræsentant universalem Ecclesiam cum suo capite, pro quo Christus oravit, ut non deficeret fides ejus; Nec obligare possunt ad credendum ea quæ docent, cum non habeant jurisdictionem in universam Ecclesiam.

Nec

Nec obstat. 1. *Quod e. ad abolendam de Hereticis*, excommunicantur, qui heretici judicantur ab Ecclesia Romana, vel à Concilio Provinciali aut Diocesano. Nam licet Concilium particulare non possit dogmata fidei constituere, potest tamen examinare & judicare, sicuti judicant Inquisitores, an aliquis in hæresin manifestam inciderit; Quod quidem judicium non est infallibile, sufficit tamen ad ferendam excommunicationem, & ad cogendos subditos ut acquiescant, donec aliud non statuerit Sedes Apostolica vel Concilium universale. Habent tamen magnam auctoritatem Concilia particularia, licet non expressè confirmata, & argumentum faciunt adeo probabile, ut ordinarie temerarium foret illis contradicere; Si enim aliqui SS. Patres idem sentientes argumentum efficiunt probabile, efficient id certe 50. aut 60. Episcopi in eo, quod invocato Spiritu sancto communi sententia statuerint.

Nec dicas. 2. Promissam quoque esse assistentiam Conciliis particularibus, ut non errent *Matt. 18. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Nam promittitur ibi assis-

sten.

stentia & auxilium unicuique Congregationi juxta capacitatem ejus & exigentiam negotii, cum promittatur Congregatis in nomine suo, hoc est per potestatem ab ipso datam. Jam vero non permittit capacitas uniuscujusque Congregationis, nec quævis res postulat, ut cum decernitur sit de fide, ideoque nec potestas ab ipso data est, ut quæ in particularibus Conciliis aut Congregationibus statuuntur de fide sint, & haberi debeant.

C A P U T XIX.

De Constitutionibus Summorum Pontificum, Bullario, & Responsis particularibus Sedis Apostolicæ.

An Constitutiones Pontificiæ non insertæ Corpori Juris jus faciant universale?

Quam auctoritatem habeat Bullarium.

An Pontifex condere possit Leges universales sine consensu Cardinalium? An

responsa particularia Pontificum faciant jus?

I.

Tertium fontem Juris Cænonici diximus esse Constitutiones Pontificias.

De